

## **EPISTOLA AD POPULORUM RECTORES [EpRect]**

<sup>1</sup> Universis potestatibus et consulibus, iudicibus atque rectoribus ubique terrarum, et omnibus aliis ad quos littere iste pervenerint, frater Franciscus, vester in Domino Deo servus, parvulus ac despectus, salutem et pacem omnibus vobis optans.

<sup>2</sup> Considerate et videte quoniam dies mortis appropinquat (cfr. Gen 47,29). <sup>3</sup> Rogo ergo vos cum reverentia, sicut possum, ne propter curas et sollicitudines huius seculi, quas habetis, Dominum oblivioni tradatis et a mandatis eius declinetis, quia omnes illi qui eum oblivioni tradunt et a mandatis eius *declinant*, *maledicti* sunt (cfr. Ps 118,21) et ab eo *oblivioni tradentur* (Ez 33,13). <sup>4</sup> Et cum venerit dies mortis, omnia que putabant habere auferentur ab eis (cfr. Lc 8,18). <sup>5</sup> Et quanto sapientiores et potentiores fuerint in hoc seculo, tanto maiora tormenta sustinebunt in inferno (cfr. Sap 6,7).

<sup>6</sup> Unde firmiter consulo vobis, dominis meis, ut omni cura et sollicitudine posthabitis, *agatis veram penitentiam* (cfr. Mt 3,2) et sanctissimum corpus et sanctissimum sanguinem Domini nostri Jesu Christi in eius sancta commemoratione benigne recipiatis. <sup>7</sup> Et tantum honorem in populo vobis commisso Domino conferatis, ut quolibet sero *annuncietur* per nuncium vel per aliud signum, *quod* omnipotenti Domino Deo ab universo populo laudes et gratie referantur. <sup>8</sup> Et si hoc non feceritis, sciatis vos debere coram Domino Deo vestro Jesu Christo *in die iudicii reddere rationem* (cfr. Mt 12,36).

<sup>9</sup> Hoc scriptum qui apud se retinuerint et observaverint illud, a Domino Deo se noverint benedictos. Paolazzi, 149: *et* in vers 6 na *posthabitis* wijst op een lacune: Gonzaga heeft vergeten *hagais penitencia verdadera* in het Latijn te vertalen zoals Wadding al opgemerkt heeft: *agatis veram penitentiam*.